



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KONTUMENSIS-DALATENSIS**  
**(BANMETHUOTENSIS)\***

IN VIETNAMITA NATIONE NOVA DIOECESIS CONDITUR, «BANMETHUOTENSIS» NOMINE.

Qui Dei benignitate in Ecclesiae sanctae fastigio idcirco constituti sumus ut gregem Christi summa diligentia pasceremus, ad Filii Dei nempe iussum et voluntatem (cf. *Io. 21, 15-17*), in hoc sane industriam omnem ponimus et considerationem maxime intendimus, ut christiani imperii, quod profecto aeterni Numinis gratia fines cotidie profert, tam recte singulae partes disponantur, ut maiore usque facultate sanctissima Christi religio et colatur, et augeatur, et magnam in hominibus ac populis opinionem habeat. Quam ob rem, cum Sacrae Congregationi Christiano Nomi Propagando visum sit in Vietnamita Natione novam dioecesim condere, Nos, bene rati id posse catholicae rei prodesse, post sententiam rogatum venerabilem Fratrem Angelum Palmas, Archiepiscopum titulo Vibianensem atque in Vietnamia et Cambogia Apostolicum Delegatum, haec, quae sequuntur, decernimus atque iubemus. E territorio dioecesis Kontumensis provinciam civilem quam dicunt Darlac detrahimus; item a diocesi Dalatensi provincias civiles Quang- Duc et Phuoc-Long separamus; quibus territoriis novam dioecesim constituimus, *Banmethuotensem* nomine, clero saeculari, uti cognominant, concredendam. Hanc Ecclesiam suffraganeam facimus Sedi metropolitanae Hueensi, eius Sedes episcopalnis erit in urbe Banmethuot, templum cathedralē id, quod est sacratissimo Cordi Iesu dicatum, in eadem civitate. Canonicorum collegium condatur; tamen, si id fieri non possit statim, Consultores dioecesani diligantur, qui Episcopo assint ope atque consilio. Cetera, quae ad regimen novae dioecesis spectent, ad res atque personas, ad electionem Vicarii Capitularis, Sede vacante, in his Ius Canonicum omnino servetur. Ceterum, ad haec quae iussimus, efficienda venerabilis Frater Angelus Palmas operam dabit, vel quem ille delegabit; re vero acta, documenta exarari iubebit et ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet sinceris exemplis. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri

praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quinto.*

*Pro S. R. E. Cancellarius*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN

*S. Congr. de Prop. Fide Praefectus*

Franciscus Tinello  
*Apostolicam Cancellariam Regens*

Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 15, pp. 944-945

© Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana